dum varicosae factae circulationem formant collateralem. Aegr
vehementer emacrescunt, nonnunquam e naribus, ventriculo
recto sanguinem fundunt, denique omnibus viribus magis magi
que exhaustis moriuntur.

ACCURATA SINGULORUM SYMPTOMATUM OBSERVATIO.

1. DE HEPATIS VOLUMINIS AC FORMAE MUTATIONE.

In hepatis cirrhosi quid docent nos quaestiones percussio
et palpatione institutae?

De hepatis magnitudine et forma, quas in sanis corporib
(secundum aetatem, genus et corporis constitutionem) diversissim
esse nemo neget, in morbis rectum judicium facere non poss
mus nisi organum accuratissime perscrutati sumus. Sic volum
jecoris normalem praebentis magnitudinem aetatis, generis et co

oris constitutionis ratione non habita majus invenimus in morbis extrae thoracis partis, velut in empyemate, in dextri inferioris ulmonis lobi hepatisatione etc., minus autem, si meteorismus, ascies, vel multum aëris in cavo abdominis adest, vel si colon 'ansversum inter hepar et costas positum est. Itaque cuicunque erum de hepatis magnitudine judicium facturo haec omnia sunt ccuratissime respicienda ac saepissime exploranda.

Primo hepatis cirrhosis stadio, quo organum hyperaemia afectum et magna exsudatorum copia extensum est, percussione adibita luculenter potest demonstrari organi amplificatio, eaque maor si cirrhosis ex hepate steatoso est formata. Hepatis magniıdo tum uno, duobus quin etiam interdum tribus digitis est aucta.

Secundo stadio exsudato in telam cellulosam commutato, siıul cum ineunte sanguinis circulationis et bilis secretionis impeitione hepar rursus minuitur ac normale praebet volumen.

Tertio morbi stadio vasis et ductibus biliariis densa tela celılosa prorsus constrictis hepatis substantia nutrimentis sublatis vanescit ejuspue volumen denuo magis magisque deminuitur, quae eminutio interdum eo potest procedere, ut extensio attenuati perussionis soni in linea mammillari ad duos vel unum digitum reucta videatur et tum in regione gastrica nullus invenitur attenuaıs sonus, propterea quod atrophia sinistri lobi eo procedere sopt, ut parvum tantum dextri lobi praebeat additamentum. Percusio autem tum cum alvus aqua prorsus est referta nil efficiet. 'am etiamsi venter prorsus aqua non est refertus, aegrotus prius sinistrum latus vertendus est quam percussione adhibita de heatis magnitudine concludi potest.

Quid ex palpatione colligendum est? Primo morbi stadio, ıo hepatis amplificatio, praesertim ubi ex hepate steatoso orta st, palpatione interdum evidenter potest demonstrari, jecur maıam praebet resistentiam, superficies est levis, margines crassi, btusi, duri. Sequente stadio, quo hepar rursus minuitur, pars suerficiei hepatis ad palpationem apta levis planaque inveniri solet, si forte cumulato exsudato et pseudomembranis compositis aspetas efficitur. Margines paullatim obtusionem et rotunditatem

amittunt atque interdum solitam assequuntur crassitudinem. Postrem stadio, si digitis extremis magna cum diligentia profunde inter he patis superficiem et costas penetraveris, interdum granulatione nisi admodum parvae sunt, senties, quod apud illos 69 homine sexies accidit. Margines imprimis sinistri hepatis lobi, nam dext propter retractionem inter costas plerumque non sentiuntur, tenue acuti sunt et facile possunt replicari. In ventre autem valde ex tenso nec de hepatis consistentia, nec de superficiei et marginu natura facere possumus conjecturam. Magno ascite exorto punction demum facta morbum cognoscere possumus.

2. DE ASCITE.

Magna stasis mechanica propterea. quod hepatis vasa im penetrabilia sunt, in omnibus venae portae radicibus ideoque i omnibus parvis peritonaei venis exorta primum efficit magnun asciten, qui hoc in morbo constantior est quam in aliis hepati morbis.[1]) Apud illos 69 homines sexagies inveni asciten; ubi vero deerat, hepar fuit exstrinsecus firmissimum ac specie granulata minorem praebens firmitatem in centro, ubi singulae parenchymatis partes ad liberam circulationem erant aptae, unde intelligitur, cur ascites non adfuerit. Venter, qui in permagnam potes intumescere altitudinem, non raro vehementer discrepat ab alii corporis partibus quam maxime consumptis. Serum in alvo collectum flavescente aut subviridi colore, si perihepatitis aut peritonitis circumscripta accedit, cum flocculis fibrinosis mixtum est si autem cirrhosis cum peritonitide carcinomatosa vel carcinomate hepatis conjuncta est, persaepe cruentum. — Anasarcam, qui saepius ascitae adjunctus est, serius, nisi eodem tempore cordis vel

---

1) *Il est certain, que lorsqu'on rencontre des foies granuleux sans ascite, le foie conserve généralement son volume naturel; une partie seulement du foie a subi la transformation, encore cette transformation est elle incomplète. Je n'ai jamais vu des foies deformés, ratatinés, ayant perdu la moitié de leur volume sans épanchement dans la cavité du péritoine.* *Cruveilhier.*

nis morbi exoriuntur et ascites jam antecessit, apparere ex eo
elligitur, quod hepatis vasa impenetrabilia impediunt, quominus
ngnis in vena portae libere circuletur, quum in cordis vel ve-
m morbis circulatio in venae cavae systemate primum laboret.
iare illic primum ascites, hic inferiorum extremitatum oedema
pareat necesse est. In duobus hominibus, in quibus accidit
ntrarium, quum febris intermittens diutius praegressa esset et
rmagna anaemia, quae mox in hydraemiam mutabatur, ascites
nnullas demum hebdomades ante mortem est exortus. Sectione
cta cirrhosis inveniebatur nata ex hepate steatoso. Ibi igitur
ocessus principio non erat cirrhoticus ideoque anasarca prius
cite exortus veram pathologicam exceptionem non efficit. Oe-
ma post magnum asciten exortum haud dubie pendet partim e
mpressione, quam serum in cavo abdominali collectum in ve-
m cavam efficit, partim e compressione venae cavae, quae hepar
nsiens saepe parenchymatis contractione coarctatur, quare san-
is venosus quominus ex inferioribus extremitatibus refluat ve-
menter impeditur.

3. DE LIENIS TUMORE.

Lienis tumor ad cirrhosin cognoscendam gravissimum est
mptoma et quantum experiendo didicimus inter phaenomena fere
rtissima referendus. In illis 69 hominibus ter et quinquagies
nis tumorem et interdum maximum percussione et palpatione
hibitis invenimus, cui, si deerat, et impedimenta mechanica
lut firma ad diaphragma adhaesio, capsulae, quae extendi
n possit, condensatio, et momenta fortuita, velut magna
aemia vel haemorrhagia praegressa obstabant. Semper autem
viventibus hominibus ostendi non potest ille tumor, velut ubi
gnus ascites existit vel lien in diaphragmatis excavatione est
situs. Causam splenis amplificati in eo positam esse constat,
od circulatio in vena portae impedita sanguini per venam lie-
em refluenti difficultatem facit. Quamquam, ubi in omnibus
iae portae vasis stasis mechanica tanta sit, lien tam arcte cum

jecinore conjunctus intumescat necesse esse elucet, tamen opiniones de ratione, quae est inter lienis tumorem et cirrhosin multum inter se discrepant. Cum Smith, O'Ferrale, Bright, Law, Oppolzer splenis tumorem constantissimum cirrhosis symptoma habeant, Budd illum in cirrhosi inveniri negat; Andral, quod i hoc morbo lienem modo normalem (obs. 18) modo parvum emollitum (obs. 17) modo parvum et induratum (obs. 19) inveni eum ad cirrhosin nihil valere ait. Quamvis optime Andral e prae ceteris Budd de hepatis morbis cognoscendis summoper meruerint, tamen eorum sententiam, lienis tumorem a cirrhos abhorrere, haudquaquam probabilem esse crediderim.

4. DE VENOSA CIRCULATIONE COLLATERALI.

Ob circulationis in jecore turbationem in omnibus venae portae radicibus ubi impedimentum incipiat, stasis oriatur necesse es quae omnium vasorum affert dilatationem eoque gravior esse debet, quo minus vena portae penetrabilis est. Qua re quum sanguis ad cor per venam portae deduci non possit, ad compensandam hanc circulationis turbationem alium ad cor expetit aditum compluribus anastomosibus inter venam portae et venam cava compositis. Vasorum rami huc pertinentes dilatantur et quo minorem sanguinis copiam vena portae accipit, eo facti pleniore sanguinem hepate neglecto per venam cavam inferiorem rectâ a cor deducunt. Anastomoses praecipue eo formantur, quod ver haemorrhoidalis interna conjungitur cum ramis haemorrhoidalibu venae hypogastricae, vena diaphragmatica cum venis Capsula Glissonii, vena gastrica superior cum venis oesophageis, per qua cum vena azygos communicant, venae mesentericae cum ram venae cavae inferioris, interdum vena renalis sinistra cum mesenterica superiore. Schmiedelius [1]) praeterea anastomoses inter vena coronariam et renalem, inter venam pyloricam et venam acygos inven

Hoc modo in cirrhosi circulatione venae portae impedita venae haemorrhoidales quae capitula turgentia formantes e rec

1) Varietas vasorum p. 26.

ominent et venae abdominales subcutaneae dilatantur quae ser-
ntium forma utroque alvi et pectoris latere imprimis dextro
fluunt. Apud illos 69 quos supra commemoravi homines venae
dominales, inter se anastomoses formantes, quadragies eviden-
sime erant explicatae. Ceterum mala, quae hepatis vasa impe-
trabilia sequuntur, ex parte eo quoque possunt compensari,
od sanguis circulatione collaterali venosa in alvi tegumento for-
ata novum ad cor sibi paravit aditum. Si inter hepar et ven-
s parietes adhaesiones sunt, communicatio venarum subcuta-
arum cum venae portae ramis eo effici potest, ut illae adhae-
nes multis vasis, quae hepatis arteriis facile injici posse Kier-
nius opinatur, impleantur.

Summum hujus phlebectaseos gradum in hominibus inveni-
s, in quibus vena umbilicalis inter umbilicum et venam por-
 jacens, eo non clauditur quod cum una vel pluribus subcu-
eis venis abdominalibus sanguinem in illam venam non in epi-
stricam fundentibus communicat. Tum ita fit mutatio, ut circa
bilicum minor vel major numerus venarum, quae serpentium
mas praebentes sub cute extenuata prominent et compluribus
iis in mammariam internam se effundunt dispositus sit (caput
dusae, Cirsomphalus, Varicomphalus), ipsa vena umbilicalis
o in cavo abdominis crassam curvatamque formet stirpem, et
a porta sit dilatata. — In hac propria circulationis collatera-
forma sanguinis venae portae pars in venam fluit umbilicalem,
m una cum venis abdominalibus huic adhaerentibus dilatat et
venam mammariam internam et per venam jugularem commu-
n vel venam subclaviam in venam cavam superiorem et in
 pervenit. Si phlebectasis in ventre deest, quod, ut supra
mus, causa non cognita accidere potest, interdum tamen certae
cientis hujus symptomatis causae possunt demonstrari. Sic in
ı quodam exquisitae cirrhosis cum ascite conjunctae a Buddio
ervato, quo venae abdominis subcutaneae omnino non erant
tatae, nonnullis diebus ante magna haematemesis fuerat, quam
venae turgescentes evacuarentur effecisse verisimile est.

5. DE HAEMORRHAGIIS.

Venae ad venam portae pertinentes nimis extensae non rar rumpuntur atque haemorrhagias vehementes sive e ventriculo siv ex intestinorum tractu afferunt; sanguis partim vomitu partim alv vel utroque modo effunditur. Haemorrhagiae saepius repetuntur nonnunquam ita exhauriunt aegrotos, ut permagnam anaemiam hydraemiam quin etiam statim mortem afferant. Sed in ill 69 hominibus, quamquam in feminarum natu majorum cadaveribu ulcera ventriculi sanata vel sanescentia octies reperiebantur, sangui nis profusio per ora venarum haemorrhoidalium sexies et blen norrhoea recti, quam veteres pathologici „Schleimhaemorrhoiden appellabant ter observatur, haematemesis ne semel quidem eveni Haemorrhagiam e naribus bis tantum observavi et in illustr. Fre richs clinico duos abhinc annos tractatur femina (Köhler 49 ann nata), quae certissima cirrhosis symptomata praebet et divers temporibus habet epistaxin. Petechiae ac ecchymomata in cru sub finem vitae sexies observabantur, quae omnia e sanguin dissolutione sunt explicanda.

6. DE CUTIS COLORE.

Hepatis cirrhosin cum bilis secretionum turbationibus ess conjunctam ei, qui magno exsudato et sequente ejus contraction non solum parvorum ductuum biliariorum compressionem, sed etia propter universalem jecinoris atrophiam bilis secretionis deminu tionem ortam esse consideraverit mirum esse non poterit. Qua litas bilis quae in vesica fellea est, plerumque pallida ac liqui et flavus hepatis cellularum color; quae de bilis secretionis tu bationibus dicta adjuvant. Qua re probatur etiam proprius ho minum cirrhosi laborantium color cutis luridus, qui paullati oritur, quum exsudati contractione bilis secretio et excretio impe diatur. Etiamsi perfectus icterus nascitur, quod raro fit, tame interdum quia bilis secretae pars etiam nunc in duodenum pe venit, faeces inveniuntur coloratae. In cirrhosi cum aliis morb

it cum calculis biliosis, cum tumoribus ductus hepaticum et ledochum comprimentibus, cum acuta flava hepatis atrophia juncta icterus magnopere crescit (Melasicterus). In illis nominibus, ut colorem semper fere luridum fuisse taceam, no- icterum invenimus magnum, cujus causa in eo posita erat, quod hosis semel cum hepatis carcinomate, bis cum tumoribus jeci- s veneriis circa fel sitis erat conjuncta, semel cum glandulis idis, quae cum pancreate cohaerentes, quominus bilis evacua- r compressione in ductus biliarios facta, impediebant, semel cholaemia, quater certa magni icteri causa non cognita. Cu- ipsa sicca, squamosa et laxa solet apparere.

7. DE DOLORE.

Aegroti parvo, saepissime nullo affici solent dolore, nisi e de quadam distentione, gravitate ac inflatione queruntur, d meteorismo in procedente morbo semper fere orto efficitur. no morbi stadio cum hepar in magna hyperaemia versetur ac mentum hepatis peritonaeale ob ejus incrementum distorquea- dolores nonnunquam acerbi sunt ac magnopere pungunt. rbissimi dolores compressione effecti semper fere in perihe- ide positi sunt, quae pseudomembranas saepius in cadaveri- observatas parat, vel in peritonitide universali.

Decurrente morbo quum organorum abdominalium functiones s magisque perturbentur, digestione imminuta et impedita, appetentia, quae antea sana vel parum turbata erat, hunc uente aegrotantes de nauseis, ructu, vomitu quaerentur. Sem- fere obstipatio invenitur, faeces plerumque firmae, flavae, quam fuscae, sed ictero magis crescente canae. Cujus rei a haec est, quod bilis plerumque, id quod e sectionibus elu- parum colorata, aquosa et exigua tantum fit. Diarrhoeae raro ub finem fere vitae demum accedunt. Quod autem Graves

docet[1]), se in faecibus alterna argillacei et flavi coloris str vidisse ideoque hepatis functionem tamquam intermittere ac bil modo constanter, modo parum, modo omnino non secerni, id m observationibus, quamquam faeces argillaceae et flavae era nondum inveni confirmatum. Urina austero colore tincta ac p rumque cum sedimento roseo conjuncta parce fundi solet, c Morbo Brightii connexa albumen cum ictero bilis pigment tenet. —

Nervorum systema fere usque ad finem, ubi nonnunqu symptomata cholaemica vel typhosa oriuntur, nulla laborat pert batione. Semel observavimus paralysin dextrae corporis partis sinistri nervi facialis cum plena animi defectione conjunct quamquam sectione accuratissime facta cerebri mutatio dem strari non poterat. —

Ubi diaphragma magno ascite et meteorismo est subduct pulmonesque compressi vel hydrothorax vel pneumonia vel pulm num oedema adest, respiratio imprimis impeditur.

Circulatio in cirrhosi nisi cum variis morbis acutis conjun non turbatur.

Quum igitur assimilatio et sanguinis circulatio ac paratio jecinore perturbatae sint, aegroti emacrescunt vires magis mag que exhauriuntur, omnibus denique viribus fractis emoriuntur.

DE DIAGNOSI.

Primo cirrhosis stadio symptomata plerumque tam exi sunt, ut veram eorum vim nisi causas, quibus orta sint, respic non cognoscas. Chronicus ventriculi catarrhus, cui omni thera adhibita mederi non possumus, dolor obscurus in hypochon dextro paullulum extenso, suspicionem movent, praesertim ubi mines tricesimum annum egressi et ebriosi sunt, aliis turbatae hepate circulationis symptomatis neglectis, ortam esse cirrho

1) Graves, Clinical observ. Dublin. Hospit. Rep. 1827. IV. 39.

nquam posterioribus stadiis, si voluminis et crassitudinis in ore et liene mutationem, asciten, proprium cutis colorem, em spiritus vini abusum respicis, diagnosis non admodum ilis esse videtur, tamen eam quibusdam momentis non modo illimam esse confitendum est, sed etiam morbum ipsum nonquam cum aliis confundi posse, quorum in numero hi morbi ponendi:

1) Pylephlebitis adhaesiva, cujus symptomata fere easunt ac cirrhosis. Inveniuntur enim in hoc morbo, ut in cirrhosi, lienis tumor, ascites saepe magnus, ventriculi et tinorum haemorrhagiae, venae haemorrhoidales tumidae, colalis circulatio atque interdum icterus. Si morbus crescit ı atrophia hepatis exoritur, aegroti emacrescunt atque marasmo aliis morbis conficiuntur. Diagnosin igitur, quae differentiam tituat, summis cum difficultatibus esse conjunctam ac saepius non posse vix quisquam negabit. Summum in cirrhosi cocenda argumentum in spiritus vini abusu et tardiore symptom progressu invenitur.

2) Atrophia hepatis chronica, atrophia rubra, ophia senilis. Cirrhosis cum hac confundi potest propterea l in atrophia etiam deminutio hepatis, digestionis et defaecas turbationes, flavus cutis color et ascites oritur, qui, plerumcum oedemate conjunctus, exiguus esse solet, sed, ut leve iorum extremitatum oedema, non mechanica ratione, sed maanaemia et hydraemia efficitur. Ibi nec splenis tumor, nec sa circulatio collateralis in alvi tegumento, nec haemorrhoides, spiritus vini abusus potest demonstrari. Ceterum haec rubra tis atrophia nisi in summa senectute apud homines marasmo rantes non oritur.

3) Syphilitica hepatis inflammatio. Hoc morbo maprocesso et jam magna hepatis parte in telas fibrosas mutata, m obliteratione vel coarctatione venae portae partim anaemia ydraemia similes ut in hepatis cirrhosi oriri debent sequelae. lla enim affectione volumen hepatis si quidem orta est ex in-

filtrato steatoso, primo stadio auctum, sin minus, posterioribus s
diis imminutam invenimus. Palpatione adhibita manifestas anim
vertimus prominentias, quae multo majores esse solent quam
cirrhosi hepatis. Quum lienem interdum infiltratis steatosis a
plificatum, ascitem quoque praesertim crescente morbo non r
accedere et aegrotos luridum et cachecticum colorem praebere
deamus, symptomata, quae syphiliticam hepatis inflammation
comitantur, interdum cirrhosis symptomatis simillima esse inte
gimus. Formae syphilidis secundariae et tertiariae, quae exst
aequales, ulcera vel cicatrices in pharinge ortae, laryngis,
ossium, vel periostei affectiones certam nobis comparant m
diagnosin.

4) Carcinoma hepatis. Primis morbi stadiis, ubi n
carcinomatosi nondum perfecte formati sunt, jecur interdum
perficiem praebet iniquam et tuberosam, quae palpationi adhib
vehementer resistit, modo amplificatur, modo minuitur ob univ
salem anaemiam et marasmum. Icterus semper fere oritur;
etiamsi deest, cutis tamen colorem habet luridum, subflavum,
checticum et siccam asperamque speciem. Hujus morbi cum
rhosi confusio, etiamsi raro, fieri tamen potest, qua in re rec
morbi diagnosin nobis parant illa: In hepatis carcinomate d
1) lienis tumor (nisi, quod rarissime fit, in liene massae ca
nomatosae deponuntur), 2) ascites, qui si oriatur ob peritonitid
carcinomatosam cruentus esse solet, id quod punctione dem
strari potest, 3) venarum abdominis subcutanearum dilatatio;
in hepatis carcinomate aegroti celerius, quam in cirrhosi e
cescunt. Praeterea si aetiologiae et accuratae observationis m
procedentis ratio habetur, diagnosis certa redditur.

5) Coarctatio vel praeclusio ductus choledochi
hepatici calculis biliosis facta aut inflammatione quadam et c
densatione telae cellulosae ductus biliarios circumdantis sec
daria, quae compressionem ductuum biliariorum plus minusve p
fectam comparat. Ibi primo morbi stadio ob hyperaemian
bilis stasin ut in cirrhosi ineunte jecur intumescit, posterior

is hyperaemia cedente atque hepatis parenchymate, ut vir Virchow demonstravit destructo et celeri marasmo minuitur. us, summa macies, defaecationis turbatio oriri solent. Dia-is differentiae (inter utrumque morbum) non est difficilis, erea quod calculis biliosis exstantibus hunc morbum colica sa antecedit, ascites, splenis tumor, venarum abdominis sub-earum et haemorrhoidalium dilatatio deesse solet.

6) Peritonitis carcinomatosa et tuberculosa. In-ntur ibi ascites, partim cum exiguo inferiorum extremitatum nate, partim sine eo, habitus cachecticus, macies celer, de-io hepatis simulata, si ascite erigitur et in marginem collo-; desunt autem splenis tumor, venarum abdominalium subcu-rum dilatatio, fluctuatio plerumque minus perspicua, propterea serum in pluribus cavis e singulis intestinorum laqueis inter oalitis formatis continetur, quae vibrationem non tam bene agant, quam unum cavum aqua completum.

7) Hepar steatosum, quod, ut in cirrhosi ineunte fit, is amplificationem, splenis tumorem non stasi mechanica, sed atione steatosa ortum, luridum aegrotorum habitum praebet. morbi diagnosis illis rebus confirmatur: hepar steatosum itur cum syphilide secundaria, cachexia mercuriali, febri in-ttente longinqua ac pertinace, scrophulosi, rhachitide, ossium culosi conjunctum. Hepatis magnitudo decurrente morbo fere leminuitur, ascites, icterus, venarum dilatatio non exstat. s quoque saepe steatosa laborant infiltratione, quam ob rem albumen tenere solet. Anaemia et hydraemia maxime florent.

DE MORBIS CIRRHOSI COMPLICATI

Non semper cirrhosis per se sola conspicitur, sed inter cum aliis morbis complicata. In illis 69 hominibus cum cirr connexi reperiebantur hi morbi:

1)	Hepar steatosum	5
2)	— syphiliticum	5
3)	Carcinoma hepatis	3
4)	Cholelithiasis	3
5)	Morbus Brightii chronicus . . .	6
6)	Renes granulati	3
7)	Tuberculosis pulmonum	8
8)	Cordis morbi	5
9)	Peritonitis tuberculosa	2
10)	Typhus	1
11)	Cholaemia	1
12)	Febris puerperalis	1
13)	Paralysis symptomata	1

Praeterea jam observantur acuta hepatis atrophia. Pylep bitis. Encephalitis. Nephritis. Emphysema.

Morbus Brightii chronicus, quem cum cirrhosi sexies ta conjunctum invenimus eumque non valde vehementem, parti mutata sanguinis compositione, spiritus vini abusu vel aliis ca effecta explicari debet, partim e stasi, quam cirrhosi effectam verisimile est, hepatis mechanica in vena cava inferiore, hepar transiens saepe parenchymatis contractione coarctatur.

Renes granulatos, quos ter observavimus, e renibus ste sis, h. e. infiltratis in telam cellulosam mutatis originem du certis argumentis anatomicis potuit confirmari. Urina inde se semel tantum albumine erat referta.

DE DECURSU, EXITU ET PROGNOS

Morbus per longum tempus, plerumque per unum plu annos decurrens, serius vel ocius morte finitur. Therapia,

terioribus stadiis morbi reversionem efficere non potest, tan-
quominus morbus crescat impedire conatur, quod ubi morbi
ptomata nondum sunt plane explicata, quamvis raro, tamen
posse nobis est persuasum. Inde quae sit prognosis facile
lligitur.

DE THERAPIA.

Hepatis cirrhoseos therapia non solum est difficilis, sed etiam
gnam medici diligentiam cautionemque, magnam aegroti obe-
ntiam patientiamque efflagitat. Verum autem ac bonum even-
therapia primo tantum stadio habere potest, quam diu scili-
inflammatio viget et exsudatum quasi blastema crudum per-
nens, in telam cellulosam non est permutatum. Quam ob
sam matura morbi diagnosis maximi est momenti, quia omnia
eo posita sunt, ut hepatis morbus non negligatur et prima cir-
seos symptomata non ad alium morbum, velut ad ventriculi
rrhum referantur ideoque falso tractentur. Imprimis id maxime
ctandum est, ut certa vitae ratio servetur, spiritus vini, condi-
nta acria, cibi adiposi amyloque referti diligenter ac severe
ntur, quippe qui hyperaemiam, quae exsudationem comitari
t, magnopere augeant. Aptissimus est usus olerum non in-
tium, velut spinaceae oleoraceae, olerum radicosorum, carnis
rae albaeque, vitulinae, gallinaceae atque piscium. Therapia
n primo stadio esse antiphlogistica et stasin hepatis inflam-
oriam solvere aut saltem minuere debeat, ad hunc finem cu-
bita aut hirudines in regione hepatis sunt applicandae, inunctio-
unguenti cinerei vel Kalii hydrojodici modicae instituendae,
plasmata vel emplastra vesicatoria in hypochondrio dextro po-
adhibenda. Magnum praebet commodum non solum venarum
norrhoidalium evacuatio hirudinibus in anum applicatis impe-
, sed etiam salium mediorum et medicaminum purgantium
etionem tractus intestinalis excitantium usus, propterea quod
dem hyperaemia hoc modo peracta stasis ac exsudatio in
s hepatis capillaribus minuuntur et motus peristaltici excita-

tione, ut bilis secreta facilius defluere possit efficitur. Ex mag numero medicaminum ad hunc ordinem pertinentium solutio natronatae, Rheum, Aloë, Extracta saponacea adhiberi possu qua in re aegrotorum vires semper sunt respiciendae et praec pue id spectandum, ne immodica cura antiphlogistica omnino t bentur. Hoc stadio aquae quoque medicatae alcalinae, velut aq Carolina, Mariana et Kissingiana, porro fontes jodio referti, ve fons Adelheidianus, Kreuznach sine dubio permagnam praebe possunt utilitatem. Quam curam victus ratione bene servata omnibus, quae talis aquarum usus praebet, commodis adhibi velut, coelo salubri, constanti corporis motione, itineribus par magnopere adjuvari per se intelligitur.

Symptomatis autem secundi vel tertii stadii exortis plan sanationem adipisci non possumus, propterea quod therapia tela cellulosam formatam e jecinore amovere non potest. Continu aquarum alcalinarum et Hydrargyri usus non modo non est sa lutaris, sed propter auctam asciten et virium defectionem noce Symptomata igitur sola nobis sunt respicienda, vires aegrotoru victu idoneo servandae, denique symptomatis molestis remo eorum conditio, quantum fieri potest, sublevanda. Dolores e peri hepatitide orti, mitiges cataplasmatis, remediis narcoticis, vel hominibus adhuc validis evacuatione sanguinis locali; ventricu catarrhum Ammoniaco hydrochlorato, Bismutho hydrico-nitric Aqua Selterana interdum etiam aqua laurocerasi, Morphio, vomend inclinationem amoveas Pulv. aërofor., Potione Riveri, Aqua Selte rana, Meteorismo si aegroti fatigantur perscribas frictione aethereas, cum Ol. Menth. piper., Ol. Cajep., Unguent. carmina Digestionem excites amaris, defaecationem levibus purgantibus Rheo, Electuariis, Clysmat. Aloeticis. In asciten parvum tantu eventum diuretica habent, velut Liq. Kali acet., Cremor tartari, Di gital. Baccae juniperi etc.; ibi potius remedia sunt adhibenda quae venam portae rectâ deplent, velut Colocynth., Gummigut etc. Sed ne hac therapia membrana mucosa intestinalis admodu irritetur ideoque ejusdem catarrhus in quem aegroti semper incli nant, nascatur et debilitatio augeatur est cavendum. Asciten, qu

summmum gradum nactus vehementem efficit dispnoeam, ione interdum adhibita amovere malis, qua quidem digestio-rgana non impediantur, sed in hominibus morbo jam con-tis paracentesi rarissime utaris, propterea quod, si saepe fit, ae seri copiae extractione aegrotorum vires deminuuntur at-lefectio acceleratur.

THESES DEFENDENDAE.

1) Epithelii cellulae organa secretoria sunt habenda.
2) Ad nonnullas icteri species explicandas substanti quae bilem componunt, in sanguine esse praeforma sumamus oportet.
3) Diversae typhi formae non sunt inter se separandae
4) Sutura cruenta in vulneribus capitis tegumenti non rejicienda.

VITA.

---

atus sum Simon Rosenthal, fidei veteri addictus Ratiboriae, die II ante Calendas Septembres anno hujus saeculi tricesimo, matre nny, e gente Haase, quam praematura morte mihi ereptam lugeo, tre Israele, quem ut Deus per longam adhuc seriem annorum olumem servet, in dies oro atque oro. Primis literarum elementis butus Gymnasium Ratiboriense adii, quod tum sub directione nunc ati Dr. Mehlhorn florens, per omnes classes frequentavi. Anno s. LII testimonio maturitatis instructus, hanc almam literarum sem Vratislaviensem adii et ab Ill. Baltzer t. t. fasces academicas ente in civium academicorum numerum inscriptus apud Ill. tschler tum gratiosi medicorum ordinis Decanum maxime spectaem nomen dedi. Per quadriennium hisce interfui scholis:

l. Aubert: De variis physiologiae capitibus.

Barkow: De anatomia corporis humani, de morphologia pathologica, de historia foetus, de sectionibus forensibus ejusque demonstrationibus in museo zootom. interfui. In theatro anatomico dux mihi fuit praestantissimus.

Benedict: De ophthalmiatrice, de instrumentis chirurgicis et fasciis rite applicandis, ejusque examinatorio de variis chirurgiae capitibus. In clinico chirurgico-ophthalmiatrico et in operationibus chirurgicis in cadavere instituendis dux mihi fuit praestantissimus.

Betschler, h. t. Rect. Magnif.: de arte obstetricia, de operationibus obstetriciis, de morbis sexus sequioris. In clinico et policlinico gynaecologico moderator mihi fuit excellentissimus.

l. Burchard: De morbis infantum adnexu cursu vaccinatorio, de diagnosi obstetricia, de operationibus obstetriciis.

Braniss: De logice et psychologia.

Duflos: De chemia organica.

Frankenheim: De physica experimentali.

Ill. Frerichs, h. t. Dec. Spect.: De pathologia ac therapia generali et speciali, de morbis cordis et pulmonum, de morbis hepatis et renum. In clinico medico et policlinico moderator mihi fuit maxime egregius.

Ill. Goeppert: De botanice universali, demonstrationibus in horto botanico et excursionibus botanicis.

Ill. Glocker: De mineralogia ejusque examinatorio.

Ill. Gravenhorst: De Zoologia.

Cel. Grosser: De osteologia et syndesmologia.

Ill. Henschel, h. t. prodec. spect.: De historia rerum medicarum, de encyclopaedia et hodegetice medica.

Ill. Klose: De herniis, de medicina forensi.

Ill. Löwig: De chemia experimentali.

Ill. Middeldorpf: De morbis cutis, de morbis aurium. In policlinico chirurgico-ophthalmiatrico dux mihi fuit excellentissimus.

Cel. Nega: De materia medica, de arte formulas medicas concinandi, de aquis mineralibus, de alterantibus et resolventibus.

Ill. beat. Remer: De chirurgia generali et speciali, de morbis syphiliticis, de fracturis et luxationibus, de operationibus chirurgicis.

Ill. Reichert: De physiologia, de anatomia microscopica cum exercitationibus microscopicis, de generatione.

Cel. Rühle: De anatomia pathologica, de auscultatione et percussione, de secretis et excretis pathologice mutatis.

In exercitationibus clinicis benignissime me adjuverunt: Exp. DD. Förster, de Glisczynski, Hasse, Joseph, Langer, Lattke, Rühle, Schedler.

Quibus omnibus viris Ill. Cel. Exp. ex intimo animo gratias ago quam maximas.

Tentaminibus vero et philosophico et medico nec non examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertationis rite defensa summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.